

Q.K. 132, 47.

Yα  
5430

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
MEDICA  
**FEBRIS EPIDEMICE PER  
DIMIDIVM ANNVM ERFORDIAE,  
INQVE EIVS CONFINIIS  
GRASSATAE, DISQVISI-  
TIONEM SISTENS.**

QVAM  
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
SVB PRAESIDIO  
**DN. IOANN. MELCH. LVTHER**  
PHIL. ET MED. DOCTORIS, ANATOM. ET PHYS. PROFESS. PVBL. ORD.  
FACVLT. MED. SENIORIS AC P. T. DECANI,  
PRO GRADV DOCTORIS  
SYMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
ET  
PRIVILEGIIS RITE IMPETRANDIS  
D. VIII. AVGUST. A. R. S. MDCCCLXXII.  
PVBLICE DEFENDET  
**GEORGIVS WILHELMVS BREITHAVPT**  
DVDERSTADIENSIS.

ERFORDIAE,  
EX OFFICINA HENR. RVD. NONNII, ACAD. TYP.



DISSEMINATIO TAVAGARAVIS  
MADIA  
HERBIS EPICURAE TERRA  
DIMIDIANUMINMUTATIONIS  
INGEAT HIS CONSTITUTIS  
GRASSATÆ SEDIMENTIS

COLISENSA GRATIOSI MITHCENIUM ORDINIS  
SABRATAVARIOS  
DN IOANN MELCHI LATHUR  
TIBERIO DA DOCTOLIER  
TIBERIO DA MELCHIUS HOMOLOGUS  
TIBERIO DA MELCHIUS IMPERATOR  
D N ILLIUS PONTE A D A M U C O T T A  
TIBERIO DA MELCHIUS EPIPHANIA  
TIBERIO DA MELCHIUS

REVERENDISSIMO  
ILLVSTRISSIMO  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
HVGONI FRANCISCO  
CAROLO  
S. R. I. COMITI  
AB ET IN ELZ  
DOMINO IN KEMPENICH ETC.

ECCLESIAE METROPOLITANAEC MOGVNTINAE PRAEPO-  
SITO, METROPOLITANAEC TREVIRENSIS, ET EQVESTRIS  
AD S. ALBANVM MOGVNTIAE CANONICO CAPITVLARI,  
CATHEDRALIS MINDENSIS ET ABBATIALIS BEWARADEN-  
SIS IN HVNGARIA, AC COLLEGIATAE AD B. V. ERFVRTI  
PRAEPOSITO, SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS, ET  
EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI ARCHIEPISCOPI  
ET PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI  
CONSILIARIO INTIMO,

REAPRENDISSIMO  
-ITATISSIMO  
EXCEPTEBUNDISSIMO DOMINO  
**PRO-PRINCIPI**  
HAGIOGRAPHICO  
IN EICHSFELDIA ETC.  
NEC NON  
S. R. I. COMITI  
AB ET IN ETC  
DOMINO IN KEMPFENICHE ETC  
PRAEPOSTO, SACRAU CAESARAE MILESTATID ET  
EMPERATORISSEMI AC CIVIS-IMM AGRI-TRICORI  
ET PRINCIPIS REICGORIS MAGANTINI  
CONSTITUTIO INTIMO.

ILLVSTRI  
S. H. C. M. E. N. S. E.

EXCELLENTISSIMO

AC

PERQVAM GRATIOSO DOMINO

# CAROLO WILHELMO L. B. AB HAGEN

DOMINO IN DEVNA ETC.

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI ARCHIEPISCOPI ET PRIN-  
CIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO INTIMO,  
ET CAMERARIO ELECTORALIS REGIMINIS ET IVDICII  
PROVINCIALIS PER EICHSFELDIAM VICE-  
PRAESIDI, AC IN MILITARIBVS  
COMMISSARIO ETC.,

# SPECIMEN HOC LEVIDENSE

EXCHIENISSIMO  
HVMILLIME.

D. D. D.

PERRONI GRATIOSO DOMINO

CAROLO WILHELI  
LB AB HAGEN

SUBIECTISSIMVS

GEORGIVS WILHELMVS BREITHAVPT

DVDERSTADIENSIS,

ET CAMELIO THERISTVS REGNUM ET IADICIN

PROVINCIAS FERRE MICHILLIBIA VICE

PRÆSIDI VAG IN MUNIBUS

COMMISSARIO ETC.




## PROOEMIVM.



Corpus humanum vario modo laedi,  
et in morbos quamplurimos praecipi-  
tari posse, imo et revera laedi, at-  
que quam saepissime in eos praecipi-  
tari, res adeo manifesta & certa est, ut vix ullus de hac re  
vel



vel dubitare queat; cum quotidiana experientia hoc satis atque abunde demonstret. Cum autem corpus nostrum ex partibus solidis aequae ac fluidis constet, Morbi sunt, qui tam has, quam illas affligunt, laedunt atque corruptunt. Fluida autem nostri corporis peccant vel quantitate vel qualitate: illa est vel excedens, vel deficiens: haec corrupta est, si falsa acida, alcalica, falsa, in iis excedunt, vel si ob varias causas nimis viscida evadunt, ita ut ad fluxum sive circuitum inepta reddantur, in vasis sanguiferis ac Lymphaticis stagnent, sive subsistant; unde cum vita & sanitas nostra in libero, ac non impedito humorum circuitu subsistit, Morbi vero & Mors, in impedito vel sublato eorum motu, quam plurimi, iisque gravissimi morbi oriuntur. In horum censum referendae sunt & febres, quae, quoniam varias ob causas frequentes sunt, oleum et operam me non perditurum, sed potius utilissimum esse judicavi, si loco Thematis, sive Dissertationis inauguralis Disquisitionem febrium Erfordiae & in ejus confiniis per dimidium fere annum praeteritum graffatarum, mihi enodandam excutiendam ve sumserim. Quanquam me non lateat, Epidemiam hanc longe lateque per Germaniam graffatam a plurimis Ill. ubique fere



9

fere locorum Medicis jam doctissime satis exaratam esse, plures tamen sunt causae tam grandes, quae me ad hocce suscipiendum impulerunt; et quidem, quia ex doctissimorum virorum scriptis publice editis Epidemiam hanc non ubique locorum, unius ejusdemque generis febrem produxisse perspexit, dum alii hanc biliosam, modo nervosam, alii putridam, contagiosam, alii non putridam, et non contagiosam observaverint, quidquod nonnulli Epidemiam ipsam negaverint. Cujus generis nostris in terris fuerit, erit Disquisitionis scopus. Interim magnam stragem edidit, multisque Timorem ac Pavorem tantorum funerum incussit; verum causa hujus stragis, si mentem nostram aperire licet, certo aut in materiae vel ipsius, vel subjecti malignitate insuperabili, aut in Errore diaietetico, aut in Errore curationem administrantis latere debet. Et si verum fatendum decem ex Errore curationem administrantis potius tolluntur, quam ex malignitate unus. Mos enim ho- diernus et consuetudo perversa, sanationem hominibus plerumque male feriatis, qui sine solida artis medicae peritia, verbosis strophis, sibi famam inter plebem adquirunt, illotisque manibus experimenta per Mortes agunt, committendi ac fesse

at-  
ar-  
nas,  
em  
est  
da,  
vi-  
an-  
nt;  
ito  
ito  
or-  
res,  
pe-  
ca-  
cio-  
ere  
m-  
unc  
que  
ere





sese concredendi invaluit; cur tanta funera miremur? Deum igitur T. O. M. precor, ut caeptis nostris annuat, atque institutum hoc nostrum, cuius finis salus publica, felix faustumque, generique humano salutare esse jubeat.

S. I.

**F**ebrem nostram Medici plurimi uno ore affirmarunt epidemicam, et si verum est, illam talem esse, quae ex causa communis quadam, ad inconsueta profluit, et non nisi ad tempus sese exserit vid. Gaubii Pathol. pag. 468. Assertioni huic assentire minime dubitamus.

S. II.

Utrum vero fuerit contagiosa, majoris ponderis quaestio videtur. Quamquam sint Medici non nulli, qui omne contagium in Epidemias respunnt, v. g. Ill. Chiracius, sylva etc. et phaenomena ingeniosissime ex corticalium cerebri vasorum obstructione, et impedita proinde fluidi nervae secretione, et ex theoria quidem mechanica deducunt, minime tamen negari potest, quod a corporum putridorum, venenatorum, aegrotantium contagiis, Effluviis, seu Miasmatibus in corpus humanum immis-



11

immissis, aut in eo genitis, multae, eaeque lethiferae mutatio-  
nes inducantur, quotidiana id experientia testante, quod et ex  
mox dicendis clarius apparebit.

§. III.

Contagium hoc itaque esse potest, vel universale, ita ut  
longe lateque diffusum sit, ut in febribus pestilentialibus, va-  
riolosis, morbillosis, aliisque morbis acutis, quoties eos epidemicos  
esse contingit: ac obvium quemvis ferme invadat, aut  
saltem dispositionem ad morbum introducat, quo in respectu  
quaevis aeris constitutio adversa contagiosa dici potest: vel  
particulare, et ad unicum saepius conclave restitutum atque  
determinatum, eosque infestans, quibus arctior cum aegris est  
consuetudo, aut quibus uno cum aegrotantibus conclavi uti,  
necessitas imponit. Quis enim stagnaritem & longius alicubi  
conclusum, multisque particulis alienis nocivis repletum ae-  
rem vitium capere ignorat, ut saepe veneni instar perimat?  
non allegabo Cryptas, Puteolanam v. g. et Schwalbacensem,  
de quibus curiosissima habet Bechlinus Lib. ult. observ. XLIV.  
non reclusa sepulchra, non observationem ab Excell. Hannaeo  
Ephem. N. C. Dec. III. Aun. II. insertam de putei recens ada-  
perti halitu lethifero, sed unicum hoc: in cubiculo occluso,  
modo quispiam saepius in eo versetur, prasertim autem a de-  
cubitu in lecto, facie sub stragulis perperam et frequenter coo-

B 2

perta,



perta, ita ut aer recrementis corporis inquinatus, diu et repetitis vicibus inspiretur, quam saepe capillos accidentes, vultum pallidum et squallidum, Gingivas inflammatas & ulceratas, halitum foetentem, caeteraque scorbuti signa, aliorumque morborum universalium chronicorum genuina non observamus? et ideo rectissime jubet celsus Lib. 3. cap. 7. in ampio conclavi ejusmodi aegrotantes tenendos esse; et si id quidem non est, eluceat modice focus, quo per caminum impura et morbida Mephitis eliciatur, quae dia aliter stagnans magis magisque in horas pestifera redditur; atqui hoc modo perflabile servetur cubiculum tutissime. Hujus igitur intuitu et nostram febrem contagiosi quid sovisse, nullum est dubium. Testantur id tot Religiosi, quidquod Medici ipsi, qui hujus contagii paenas luerunt. Insuper Morbus hic raro domum invafit, quin omnes, aut saltem plurimos in eadem domo contentos, praecipue, quibus arctior cum aegris fuit consuetudo, inficeret. Occasione hujus et id adjicere, quod non semel, sed pluries, in visitatione ejusmodi aegrotantium observaverim, inutile erit: scilicet salini irritantis quidpiam in primis labris persensi, quod, dum lambitando abstergere quaelevi, copiosum saliva fluxum proritauit; unde et effluvia nociva non immerito hariolari licet.

§. IV.

## §. IV.

Sunt, & qui omnes Epidemiae effectus, terrori ac metui adscribunt. Verum enimvero terroris atque metus, licet effectus in corpore humano negari non possint, pluribus tamen exemplis, homines, nullo terrore, nulloque metu perculsos, sed sola vi contagii affectos fuisse, si instituti ratio id exigeret, corroborari posset; exemplo hic tantummodo sint bruta, quibus omnis judicij facultas est denegata, & saepissime Epidemiae poenas ex solo contagio luunt, utpote cuius effluvia mira subtilitate gaudent, & corporibus tenacissime saepius adhaerent, ita ut aerem universum tali contagie pernitiosa tactum minime semper accusare liceat.

## §. V.

Cujus autem generis febris nostra fuerit, nunc determinandum venit. Antequam vero id definire licet, Historiam morbi apponere Necessitas exigit. Quoniam vero Morbus ex symptomatibus tanquam effectibus cognoscitur, haec autem in diversis subjectis valde diversa inveniebantur, suosque in decursu periodos observabant, sedula observatione obtenta, ea in duplicis ordinis symptomata dispescimus: vel enim lente incedebant, ac progrediendo pejora evadebant: vel majori cum vehementia accedebant, breve tempore finiebantur.

## B 3

## §. VI.

## §. VI.

Inter symptomata prioris ordinis referuntur, lassitudo diutius praeanimadversa, invasio cum horripilationibus frequentioribus, modico tantum aestu subsequente, capitis graveudo, dolor ac vertigo, Nausea aut quandoque vomitus sine insigni aliquo siti, somnus irrequietus, mane remissio aliqua symptomatum ac majori cum vehementia versus noctem horum recursus, praecipue in morbi progressu. Pulsus celer et parvus, inaequalis, quid quod intermittens, respiratio anxia, cutis sicca et tensa, urina naturalis aut flammea, in paucissimis aquosa. Interim continua aderat in somnum propensiō, pavoribus tamen semper interrupta; sique per sex aut septem dies modice valere, primumque morbi periodum absolvisse, videbatur aeger; verum enim vero octavo aut nono die omnia in pejus ruerant. Capitis dolor augebatur, & in hujus parte posteriore sensus quasi frigoris percipiebatur, calor increscebat. Pulsus siebat celerior, ast et simul debilior existebat, vires magis magisque decrescebant, tremebant artus, atque aures tinniebant, accedebat delirium raro violentum, sed potius suave, unde patiens omnino quietus lingua haesitante perversa animi sensa prodebat, saepiusque inter obmūrmurationem resipiebatur. Alvis erat summe pigra, aut plane obstructa, aut nimis fusa, cutis & lingua arida manebant, haec que

IV. 2

5. II

que muco luteo obtegebatur, sicque se habebat alter hujus morbi periodus, ad decimum aut undecimum usque diem durans; quo praeterlapso virium decrementum aderat summum, pulsus adeo debilis & parvus evadebat, ut sub digito repere potius quam illum ferire animadverteretur. In conspectum prodibant petechiae, ac aegrotus omnibus tandem sensibus orbatus fiebat stupidus; surdus. Delirium finiebatur comate, supervenientibus non nunquam convulsionibus, ac tandem morte: idque vel die decimo octavo, vigesimo, aut vigesimo primo.

### §. VII.

Ad symptomata secundi ordinis quod attinet, sic modo dicta §. antec. majori cum vehementia accedebant, citiusque periodum suum absolvebant. Conjugebantur cum his major virium prostratio, appetitus plane cessans, dorsi & lumborum dolor, delirium continuum, anxietas, virium decrementum, quae cuncta per totum morbi decursum affligebant. Pulsus hic in principio satis fortis videbatur, uno tamen eodemque die ratione roboris valde variabat, tandemque crescente morbo atque periculo intermittebat, quidquod tremebat. Aliqui rheumatismis in variis corporis plagiis praecipue sub costis spuriis per modum pleuritidis spuriæ afficiebantur, quibusdam sub coryza & catarrho imponebat. Alvus & urina in quibus-



quibusdam invita profuebant. Conspiciebantur in aliquibus aphthae, quidam cum difficultate deglutiebant; tandem sequentur variae haemorrhagiae, diarrhoeae, subsultus tendinum, delirium continuum, sudor frigidus & octavo aut undecimo die mors. His in circumstantiis symptomata de nocte semper pejora erant, mane per sudorem quemcunque remissa.

#### §. VIII.

Ex symptomatibus igitur primi ordinis' appareat, febrem, cum lente incesserit, nullaque putredinis signa exhibuerit, nihilominus prostrationem virium maximam habuerit comitem, hujus causam in fluido nerveo latuisse oporteat, hinc optime tentam nervosam dicendam esse, cum & ex ase huic respondeat, quam sub hoc nomine non satis laudandus Huxham in operib. Med. Phys. delineavit, interque hujus causam lympham viscidam ad secretionem fluidi nervei ineptam posuit. Ex symptomatibus vero secundi ordinis, cum cito periodum absolverint, nunquam intermisserint, aliaque se immiscuerint symptomata, hanc febrem modo continuae simplicis, modo complicatae, maxime Typhi sobolem fuisse concludere licet.

#### §. IX.

Typum graphicce licet harum febrium descripsierimus, opera tamen pretium erit, brevibus adhuc hujus Epidemi-

cae

cae febris criteria seu signa diagnostica & pathognomonica attingere. Ex sedula autem observatione erant sequentia 1. capitis gravedo, dolor, vertigo. 2. Horripilationes frequentiores. 3. Virium prostratio. 4. Alvus utplurimum pigra aut plane obstructa. 5. Vrina plus minus tincta; quae tandem sedimentum fuso - limosum deponebat, aut statim limosa adparebat; his enim se exerentibus tuto febrem Epidemicam concludere licebat.

§. X.

Ad causam hujus febris epidemicae occasionalem seu externam quod attinet, cum de ea tot ferme opiniones quot capita fuerint, eam disquirere haud incongruum & a scopo alienum erit.

S. XI.

Febris epidemica pluribus fuit communis, ergo & ejus causam communem fuisse oportet; ejusmodi autem causam communem omnibus potiorem, ut alterius investigatio non

C

ne-

necessaria videatur, invenimus in Aere; cuius constitutio humida atque frigida, quot quantasque in corpore animali uon infert saepius mutationes? frigida enim ac gravior ejus constitutio transpirationem non solum impedit, sed & humorum excrementitiorum superfluorum collectioni ansam quam maxime praebet, id quod de experimentis eorum, hac in re maxime occupatorum docemur: Sic Bryan. Robinson sur la quantité de la transpiration p. m. 44. habet; transpirationem tempore hyemali minui, accedente vero Vere magis magisque semper augeri, urinae autem excretionem semper fieri minorem; ex quibus itaque, cum transpiratio a constitutione aeris frigida imminuatur, urinae autem excretio parum aut omnino non augeatur, ut sanguinis serosa pars excretioni jam jam dictata, retineatur, accumuletur, corporique onerosa evadat, se qui necesse est.

### §. XII.

Constitutioni aeris frigidae, si accedat humiditas Effectus §. praec. non solum maiores evadunt, sed &, dum insuper humili-

humidae partes corpori sese insinuant, tonus vasorum maxime labefactatur, unde nova, eaque plurima succrescere oportet mala; exsoluto enim semel robore, excretiones non solum omnes, sed & digestio maxime vacillant, unde non nisi chylus crudior, & a bile itidem vapescente minus exaltatus, ad massam sanguineam devehitur, restitante in primis viis faburra excrementitia, in constantem pessimi morbi somitem olim evasura. Neque spes est, chylum crudorem sanguini admixtum intra vasa rediturum esse ad frugem, nam & ipsa massa sanguinea segnius torpidiusque ob interjectas quam plurimas particulas aquosas movetur, unde hujus ulterior perfectio, ac Elaboratio, nec non aequalis partium mixtio interturbatur, ac particulae excrementitiae, proscribi alias solitae retinentur, unde variae nascuntur acrimoniae, variae febrium species.

§. XIII.

Ad modum Geneseos harum febrium quod attinet, qui aliter fieri potest, quam si, quae primis viis inherent excrementitiae sordes, digestionum vitio ibi relictae, & ad massam

C 2

sangu-

sanguineam delatae, aut in illa ob excretiones vacillantes, & motum inæqualem ac retardatum natæ, motum concipient intestinum plus minus intensem, quo ipso magis magisque subtilisatae ac attenuatae, in fermenti, stimulique magis activi naturam vertuntur, atque exaltantur, unde torpidus ante sanguinis aequæ ac fluidi nervæ motus incitatur, febremque sifit.

## §. XIV.


Quod autem ejusmodi constitutio aeris humido-frigida febribus hisce primum ansam dare soleat, & exinde elucescit, quia plerumque ejusmodi febres in Vere & Autumno, ubi haec aeris frigida & humida constitutio maxime viget, frequentiores sunt, & iis in locis ubique fere Endemiae sunt, quibus aer est palustris, maritimus, aut Arboribus plurimum obsitus. Exempla inter alia, confirmationis loco incidit in mentem & illud de peregrinatore quodam, qui per aliquot noctes prope parietem noviter exstructam atque humidam adhuc dormiverrat, eaque de causa febre partiali lateris faciei parietem versus spectantis, nec minimo caeteris in partibus, utpote lecto tectis,

❀ ❀ \* ❀ ❀

tectis, motu sebri sentiente corripiebatur. Nec desunt exempla eorum, qui domibus ex ligno constructis assueti, ex lapidibus erectas inhabitati, per appositionem lecti ad parietem lapideam febre correpti fuerunt, nec non, qui per solum habitaculum e lapidibus noviter erectum rheumatismis per diem, vespere subsequente lassitudine, nocte vero prorumpente sudore iterum remissis, & sic porro, excruciebantur. Et quem latet, aere flante calido & sicco ejusmodi febres elanguescere, quidquod evanescere, experientia teste, ita ut nullum dubium, quin ejusmodi constitutio aeris humido-frigida talem nocivum effectum in nostro corpore ediderit. Talis autem constitutio aeris humido-frigida per hyemem anni praeteriti non solum sed in Vere maxime mense Junio, imo per totam ferme aestatem ubi transpiratio augenda foret, §. xi. regnavit; diutius itaque uno eodemque tenore sic pergente, & quasi dominatum obtinente humido-frigida aeris constitutione notabilem mutationem, fibras scilicet plurimum relaxando, sanguinem atque lympham ad lentorem nimium, olea vero & sales ad acrimoniam justo majorem disponendo, in corpore nostro inductam fuisse quis ignorat. Ex quibus simul febrem nostram in hoc sui ini-

C 3


tio



tio, cum ortum habuerit ex causa evidente occasionali satis manifestum, minime malignam dici potuisse, sed vel sibi relictus prope statum, vel ex mala perversaque Praxi talem evasisse patet.

§. XV.


Constitutionem aeris humido-frigidam causam occasionalis febris diximus §. xi. xii. sed ejusmodi aerem capimus, & in eo versamus omnes, non omnes tamen febre correpti fuere; ergo alia causa prædisponens seu interna, in partibus corpus componentibus, illudque sensim magis magisque a statu sanitatis recedere faciens adfuerit, donec tandem ab occasionalibus magis excitata, proximam morbi causam sive eam solidorum & fluidorum mutationem, ex qua actiones laesae immediate dependent, produxerit. vid. celeb. Ludwig. pathol. de cauf. Morb. Hanc autem prædisponentem causam corpus ac genus nervosum maxime debile constituit, per princip. pathol. ea debilitas sive a causis moralibus, ut Timore, Terrore, Curis &c. sive physicis, ut venere immodica, in gluvie,



gluvie, inedia, immoderatis vigiliis, studiis &c. inducta fuerit, corpora semper magis ad suscipiendam ex aere labem disposita reddit.

S. XVI.

Ad prognosin hujus febris jam quod attinet, sic signum semper bonum erat, cutis & lingua non adeo arida; cum plerumque febris sudore male olente diutiusque continuante finiebatur. Prostratio virium in principio non summa, nec in progressu nimium aucta; utpote vim vitalem principem sanitatis causam indicans, qua dispositio ad morbos inducta non solum sed & mutatio morbosā ipsa saepius sensim sensimque per alias & contrarias causas corrigitur. Calor per universum corpus aequalis; tanquam signum circuitus sanguinis aequalis. Delirium non continuum: utpote fluidi nervei crasis non adeo perversam esse indicans. Urina si in decremento sedimentum deponebat, fusco-limosum: quod sub urina flammea citius, sed majori cum periculo, sub naturali autem tardius, sed minori cum periculo contingebat. Pulsus non adeo debilis



bilis & parvus, nec nimium in progressu morbi decrescens; vim vitalem non adeo imminutam significans. Diarrhaea cū juscunque coloris faeces fuerint, non nimium debilitans; sic erant quandoque nigrae & virides, valde faetentes, multoque viscido semper commixtae; haec quo frequentior erat, eo melior; his tamen sub circumstantiis, ut scybalia cohaerentia compactaque iterum evaderent, aegrotus licet nihil solidi cibi per quatuordecim dies sumserit; nam nimis liquida dejectio fusci coloris, absque scybalis subsequentibus minus salutaris erat, nimium enim debilitabat, fusionem humorum indicans. Tussis tertio aut quarto die infestans, licet in principio secca, ex post humida facta; unde & omnia symptomata in iis mitigiora erant, quibus invasio cum tussi erat. Auditus difficilis quidquid surditas, quae septimo, nono, aut undecimo die praegresso tinnitu & susurru aurium sese manifestabat. Signum omnium optimum erat in pulsū antea debili ac parvo, nunc fortiori majorique reddito.

§. XVII.

## §. XVII.

Pessimam econtra Prognosin formabant; subsultus tendi-  
num enormior, Delirium continuum, Diarrhaeae frequentio-  
res sub pulsu magis magisque semper decrescente, aut sudore  
frigido viscido erumpente; nec non diarraea involuntaria, Uri-  
na fusca aut nigra, aut antea limosa, aquosa facta. Cutis  
summe arida & tensa, Decubitus supinus, extrema frigida, cor-  
poris insensibilitas, caecitas, pulsus tremens, quae ut plurimum  
mortem instantem significabant; quamquam uno alterove ex  
his symptomate existente non statim mors extimescenda erat.

## §. XVIII.

Crisis hac in febre tarda erat aequa ac infida, non raro  
ad Dies sex vel octo protracta, nec non feliciter caepita, sae-  
piissime ex improviso interrumpebatur, ac funeste terminab-  
tur; Nec per unam semper eandemque viam materia peccans  
eliminabatur, nunc enim per transpirationem, nunc per sudo-  
rem, jam per haemorrhagiam saepius recurrentem, jam per  
fluxum alvi, jam per salivationem cum aphthis albis, sive ul-

D

cuscu-



cusculis totam membranam oris, linguae, aesophagi, quidquod ventriculi obsidentibus, quibuscum se nonnunquam conjugebat singultus, non levem terrorem incutiens. Vbi itaque crisi salubris futura erat, pulsus magis vegetus & constans evadebat, urina sedimentum fusco-limosum deponebat, vigiliae, deliria, fitis, una cum reliquis id genus symptomatibus indies decrescebant, quibus peractis per sedecim & ultra dies, magna tamen adhuc corporis debilitas, cum vertiginosa capitis obnubilatione restabant, nec restitutis praeferiti meminisse potentia erat.

### §. XIX.

Auxilia, quibus hostis hic profligatus fuerit, restant inquirenda. Ea vero non fuerunt universalia, sed cuivis morbi stadio, acque ac subjecto appropriata. Tempore igitur invasionis, raro enim Medicus in consilium citius vocatur, cum omnes ferme Nauseam, ciborum fastidium, dolores infimi ventris, quidquod vomendi conatum accusabant, sub modicis viribus adhuc, pro re nata propinebatur aut lene Emeticum aut

aut Laxans antiphlogisticum; Priori in casu optime succedebat tartarus emeticus ad aliquot grana in aqua solutus, & successi-  
ve haustus, donec sequebatur vomitus, vel etiam Rd. ipec-  
canh. cum sale medio combinata, vel ejus infus: in altero  
vero casu decoctum Tamarind. cum rhabarb. & tremor. tar-  
tar. aut sale polichrest. quo magna saepe quantitas aut bilis  
viridis, aut nigrae, summo faetore praeditae, ac viscido remix-  
tae, aut soli viscidi evacuabatur; nec inutilis erat, bile pre-  
fertim viride praesente, leniorum laxantium, habito tamen sem-  
per respectu virium, continuatio, quidquod necessitas saepius  
efflagitabat. Non minorem opem praestabant clysteres in  
principio abstergentes, in progressu saepius repetitae, nocitu-  
rae. Interim maxima eo collinebat cura, & aeger aerem re-  
spiraret sanum, quo in finem hujus correctio omnium primo  
instituebatur, tam admittendo novum, quam praesentem per  
fumum aceti & alia &c. immutando; cum pessime semper fe-  
bris decurrebat, ubi hoc erat neglectui; sic ut nequidem ae-  
grum in lecto Velarii obsto decumbere conveniret. Ve-  
naesectio cane & angue pejus in hacce febre vitanda erat,  
dum fomes febrilis praecipue in primis viis residebat, citius

D 2

que

uod  
ge-  
cri-  
eva-  
iliae,  
dies  
ma-  
pitis  
po-

in-  
or-  
in-  
um  
en-  
vi-  
um  
aut



que non solum resorbebatur, sed & majori quantitate ad malam sanguineam deferebatur, unde febrem majus capere incrementum, pejorative symptomata producere necesse erat. Praeterea prostratio virium jam insignis aderat, cum pulsu parvo, quae autem per venaelectionem immediate augebatur. Praemissis evacuantibus apprime conveniebant resolventia cum temperantibus, nec non lenioribus diaphoreticis, quibus saepe fomes febrilis in sanguine contenta eliminabatur, ita ut febris ex toto remitteret, & quasi suffocaretur,

§. XX.

Si his praemissis nihilo secius febris impetus durabat omnis Medicinae scopus eo vergebat, ut aequalis per universum corpus transpiratio major obtineretur, hac enim obtenta maxima sanitatis spes assulgebat; sicuti a sudore nimis profuso vires mirum in modum debilitabantur; priori scopo inferiebant potiones temperantes & diaphoreticae, ad instar omnium Rd. Contrayerv. cum cort. peruv. Altero, praecipue subiti vehementiori, pulsu debili & parvo, dejectionibus fuscis male

male oientibus, acida, quidquod cortex peruv. tam in substantia, quam extracto, in majori dosi propinatus. Ad vires, quae maxime labefactabantur, tam erigendas, quam praesentes conservandas, subinde haustus vini rhenani porrigebatur. Ad alvum maxime pigram reserandam altero aut tertio die applicabantur clysteres abstergentes ex sapone venet. Sale commun. aut mirabil. Glaub. liquidae autem dejectioni acer-  
vatim incidenti multumque debilitanti opponebatur optimo successu cortex Peruv. cum Theriac. Potus ordinarius erat Decoct. Rd. Cichor. aut Gramin. aut mera aqua cum modico vino rhenano. Nec hic mucilaginosa bene succedebant, cum jam multum viscidum aderat.

### §. XXI.

In altero morbi stadio, ubi symptomata ante dicta pejora evadent, pulsus debilior erat, praecipue autem delirium majus capiebat incrementum, virium tam conservatio quam delirii sedatio attendendae erant; vires erigebat optime usus Cort. Peruv. cum Rd. contrayerv. qui sudorem non solum

D 3

pro-



promovebat, sed & putredini resistebat. Delirium sedabat modicus usus laudani liquidi Sydenham. nec non sinapis in plantis pedum applicati. In maxima prostratione virum suadente celeb. Pringle & Sal Corn. Cerv. opem non sfernendam praestabat.

### §. XXII.

In tertio demum stadio, supervenientibus tendinum subfultibus, ac spasmis optime medebatur moschus ad gr. vi. vel viii. datus, nec non vesicatoria & ante dicta epispastica. In nimia anxietate pectoris ac convulsionibus Potio salina Huxham. opem fere praesentem ferebat, cuius talis est compositio.

Rc. sal. CC. 3*fl*

Succ. Limon. 3*ijj.*

Aq. alaxit. simpl. 3*fl*

M. peracta effervescentia adde  
Spirit. lavendul.

Syrup. Croc. aa. 3*fl*

M. f. haustus.

### §. XXIII.

## §. XXIII.

Ad curam prophylacticam quod attinet, cum ea omnium facillima sit, pauca proferam. Absolvitur p<sup>r</sup>aep<sup>r</sup>imis vitando tam causas occasio<sup>n</sup>ales, quam p<sup>r</sup>aedisponentes corrigendo. Aer serenus & purus, & si is non est; per incensum juniperum, fumum aceti &c. correctus, Domus tam quam corporis mundities, Cibi Evpepti, aut alii moderate sumpti, Potus defaecatus; Panis ex fecali puro & mundato bene coctus, motus sufficiens, animi fortitudo, abstinentia a venere nimia, studiis nimiis moderatus vini rhenani haustus &c. optima nobis offerunt medicamenta p<sup>r</sup>aeservatoria.

## §. XXIV.

Vltimo brevibus adhuc infusum corticis Peruviani vinosum a viris magni nominis ad Prophylaxin tantopere decantatum attingam. Et quem nisi Chemiae ignarum latet, ejusmodi vinosa & spirituosa resinosa hujus corticis partem resolvere, in hac vero maximam adstrictionis vim residere, ita ut in uncia una corticis menstruo spirituoso infusa major vis adstri-

OK Ya 5430 X 2373841


32



adstrictionis insit quam in uncis sex menstruo aquoso solatis;  
unde facile in sensibilioris adstrictiorisque naturae hominibus  
obstructionibus spasmis &c. qui tamen in hac febre maxime  
vigerunt, ansam praebere potest, hinc non ut universale de-  
praedicandum esse. Quibus pro ratione temporis atque vi-  
rium impono

## FINEM.





DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS  
MEDICA  
**FEBRIS EPIDEMICE PER  
DIMIDIVM ANNVM ERFORDIAE,  
INQVE EIVS CONFINIIS  
GRASSATAE, DISQVISI-  
TIONEM SISTENS.**

QVAM  
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
S V B P R A E S I D I O  
**DN. IOANN. MELCH. LVTHER**  
PHIL. ET MED. DOCTORIS, ANATOM. ET PHYS. PROFESS. PVBL. ORD.  
FACVLT. MED. SENIORIS AC P. T. DECANI,  
PRO GRADV DOCTORIS  
SYMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
ET  
PRIVILEGIIS RITE IMPETRANDIS  
D. VIII. AVGVST. A. R. S. MDCCCLXXII.  
P V E L I C E D E F E N D E T  
**GEORGIVS WILHELMVS BREITHAVPT**  
DVDERSTADIENSIS.

ERFORDIAE,  
EX OFFICINA HENR. RVD. NONNII, ACAD. TYP.

